

Andreas Semenov-Tian-Shanskij.
Analecta coleopterologica.

Андрей Семенов-Тянь-Шанский.
Колеоптерологические заметки.

XXI¹⁾.

381. Formae fere omnes, quas Dr. St. Breuning in Monographia generis *Calosoma* Web. (Monographie der Gattung *Calosoma* Web. (Carab.), 1927—1928: Koleopter. Rundschau, XIII, pp. 129—232; Wien. Entom. Zeitg., XLI, pp. 81—141; Koleopter. Rundschau, XIV, pp. 43—101) appellat „varietates“ („Unterrassen“), sunt merae sensu nostro nationes, illae, quas „subspecies“ nominat auctor, sunt sensu nostro subspecies. Cf. A. Semenov-Tian-Shanskij, Die taxonomischen Grenzen der Art und ihrer Unterabteilungen, etc. Berlin, 1910.

382. *Calosoma sycophanta* L. in Russia centrali deest neque unquam in provincia Mosquensi observatum est²⁾. Nunquam quoque in parte meridionali provinciae Rjazaniensis nobis obvium fuit. Haec species progreditur septentrionem versus in Russia europaea usque ad gr. 53½ lat. bor. solum apud oppidum Samara (P. Semenov-Tian-Shanskij!, J. Faust!, alii); in montibus autem Uralensibus gradum 57 lat. bor. attingit (prope Sverdlovsk = Ekaterinburg, teste Kolosov 1929).

383. *Calosoma* (*Callistriga*) *maderae maderae* (F.) nat. *funestum* Géh., Breun. non solum totam fere Transcaucasiam, sed etiam Persiam septentrionale-occidentalem habitat: ad montem Demavend (D. Glazunov! 29/V 1894: numerosa specimina in coll. P. Semenov-Tian-Shanskii, nunc in Museo Zool. Acad. Sc. U.R.S.S.).

Formam *funestam* Géh. (1885) nationem esse non *Calosomatis maderae auropunctati* Hbst., ut St. Breuning sentit, sed *Calosomatis maderae maderae* (F.) esse censeo, nam ab hoc vix nisi distinguenda esse mihi videtur.

384. Ex analogia cum numerosis subspeciebus nationibusque *Calosomatis* (*Callistrigae*) *maderae* F., cum *Calosomate* (*Caminara*) *deserti-*

¹⁾ Cf. Revue Russe d'Entomologie, XXI, 1927, pp. 230 sequ.

²⁾ Incertam indicationem Melgunovi (1893) incredibilem esse omni jure declaravit G. Jacobson in Жуки России и Зап. Евр., IV, 1906, p. 255, quod a D-re Breuning in ejus Monographia generis *Calosoma* Web. neglectum est.

cola Sem. alisque incredibile nobis videbatur, *Calosoma petri* Sem. 1892 eandem esse non solum speciem, sed etiam subspeciem atque *Calosoma algericum* Géh. 1885. Quomodo res se habeat, secundum materialia copiosiora porro disquirendum est. Doleo, me pauca tantum (5). *Calosomatis petri*, nulla *C. algerici* specimina habere. De peculiari tarsorum maris structura auctores omnes, qui ante a. 1902 de *Calosomate algerico* scripserunt (ut Géhin 1885, Reitter 1896, etiam Bedel 1895), nullam fecerunt mentionem. Quae cum ita essent, specimina transcaspica omni jure ut speciem novam in Revue Russe d'Entom., II, 1902, pp. 84—86 diserte, quod nemo adhuc fecerat, descripsi.

Dubito, num haec rara species, praecipue parti orientali desertorum transcasicorum quae Kara-kum dicunt propria, circum oppidum Aschabad vivat.

Area geographica *Calosomatis algerici* Géh., latissime per sic dictam Sumeriam (P. Serebrovskij¹⁾) disjuncta, in area geographica *Passeris simplicis* Licht. meram praebet analogiam.

Quod ad locum *Calosomatis algerici* Géh. in systemate sui generis attinet, hanc insignem speciem a ceteris speciebus subgeneris *Callistriga* Motsch., ubi a St. Breuning nuper relata est, adeo discrepat, ut subgenus proprium, quod sequitur, repraesentare nobis videatur:

Eremosoma Lapouge (= *Eremarpax* Sem. in litt.): pedes fortissimi, tiblis in ♂ non solum intermediis, sed etiam posticis valde curvatis, in ♀ intermediis fortiter, posticis modice incurvis; tarsis anticis ♂ articulis duobus basalibus fortissime dilatatis subtusque pulvillatis, 3-o simplici, subtus glabro, unguiculis longis, tenuibus²⁾; elytra inter limites primarios limitibus quinque plus minusve manifestis; statura major (long. 27—31 mm.), forma valde robusta, elytris utroque in sexu latis; cetera ut in subgenere *Callistriga* Motsch., Breun.—Subgeneris typus et species unica: *Calosoma algericum* Géh., desertorum arenosorum, Africae septentrionalis (Sahara) nec non Asiae occidentalis (Kara-kum) incola.

385. *Calosoma* (*Caminara*) *reitteri* Roeschke 1896 in finibus Turcomaniae (Transcaspiæ) occurrit solummodo, quantum constat, in Aschabad, in adjacente parte montium Kopet-dagh nec non ad fluv. Kushka [teste Breuning (op. c.), qui hunc locum, false transcriptum, in Turkestan occidentalem perperam transfert]. *Calosoma reitteri* est rara apud nos species, praecipue primo vere occurrens. Specimina nostra (5 in Museo Zool. Acad. Sc. U.R.S.S., quorum 4 e collectione P. Semenov-Tian-Shanskii) data sequentia gerunt: Aschabad (A. Komarov!); Aschabad (P. Varentzov! 5/III 1895 8h p. m. ad lumen lampadis: 2 specimina); Aschabad (C. Ahnger! 24/III 1902).

Hanc speciem praecipue in prov. Chorassan Persiae habitare praesumo, nam ea in Turkestaniam rossicam, quantum constat, abest.

386. *Calosoma* (*Charmosta*) *denticolle* Gebl., species praecipue rosso-kirgizica, solum oram septentrionalem Turkestaniae rossicae incolit (Loktevsk et Barnaul sunt in districtu Altaico Sibiriae, non in Turkestaniam, ut Dr. Breuning existimat, posita). Orientem versus haec

¹⁾ Cf. P. Serebrovskij. Annuaire Mus. Zool. Acad. Sc. URSS., 1928, p. 348.

²⁾ Signum spectale coleopterorum arenicolarum.

species unacum *C. (Callistriga) maderae dsungarico* Gebl., usque ad Alashanj (Alashà) in Mongolia australi progreditur: ante oculos habeo nonnulla specimina, quae ab europeis nullo signo essentiali differunt, e deserto Alashanico, prope fontem Sja-shao-ba-shuj ab expeditione cl. P. Kozlovi mense IX 1901 capta (coll. P. Semenov-Tian-Shanskii, nunc in Museo Zool. Acad. Sc. U.R.S.S.).

Ergo area geographica hujus speciei a St. Breuning nimis approximative indicata (Koleopt. Rundschau, XIII, 1927, p. 232), emendanda est. Praeterea in legendis schematis geographici a D-re Breuning l. c. allatis ea, quae ad *Calosomata denticolle* Gebl. et *investigatorem* Illig. attinent, vice versâ leguntur.

387. *Calosoma (Chrysostigma) reticulatum* F. in finibus Rossiae procul dubio omnino deest. G. Jacobson (Жуки России и Зап. Евр., XIV, 1906, стр. 257) data Eichwaldi et Motschulskii ad hanc speciem attinentia dubiosa esse omni jure declaravit. Ergo omnia, quae de hujus relictæ speciei distributione geographica disseruit St. Breuning in Koleopter. Rundschau, XIV, 1928, p. 97, sunt verba nullius momenti.

388. *Calosoma (Callisthenes) panderi karelini* Fisch.-W., quod pro bona subspecie habeo, teste St. Breuning (op. c.) occurrit inter alia in Turcomania (Transcaspia) prope Merv. Re verâ haec forma, solum provinciis Heptapotamicae et partim Semipalatinskensi propria, Turcomaniâ totâ, ubi nulla species subgeneris *Callisthenis* Fisch.-W. habitat, sine ullo dubio abest.

389. *Calosoma (Callisthenes) semenovi* Motsch. 1859, 1860, Solsky 1874 est forma (natio) laevisissima et robusta, superficie splendide viridi-aeneâ s. viridi-cupreâ *Calosomatis elegantis* Kirsch 1859, quae solum in Heptapotamia Transiliensi praecipue circum oppidum Vernyj (Alma-ata) habitat, montanis autem deest. Typica hujus formae specimina pater meus Peter Semenov-Tian-Shanskij a. 1858 non procul a castello (nunc oppido) Vernyj ipse legit et Eduardo Ménétriés, tunc jam aegroto, tradidit describendam. In Alatau Dzhungarico *Callisthenes elegans semenovi* abest.

Calosoma elegans declive C. A. Dohrn 1884 praecipue ad lacum Issyk-kul habitare videtur.

Ergo omnia, quae de harum formarum distributione geographica Dr. St. Breuning in sua Monographia generis *Calosoma* Web. (Koleopt. Rundschau, XIV, 1928, pp. 63—65) scripsit, sunt data incerta, areas geographicas falsas instituentia.

Notandum est omnibus merae scientiae cultoribus, materialia entomologica cum in museis, tum in collectionibus privatis Europae occidentalis coacta nullum solidum fundamentum ad studium zoogeographicum praebere, nam collectorum illiteratorum et praesertim mercatorum gratiâ datis geographicis incertis nisi fallacibus abundant.

390. *Calosoma (Callisthenes) rostislavi* Sem. 1906 (Revue Russe d'Ent., VI, pp. 262—263) non est synonymon *C. (C.) elegantis declivis* C. A. Dohrn, ut perperam censuit St. Breuning in Monographia generis *Calosoma* Web. (Koleopt. Rundschau, XIV, 1928, pp. 61, 65), sed species distinctissima, sine ullo dubio autonoma, nam aream geographicam praebet absolutam, habitans solummodo in valle Ili fluvii

prope Dzarkent et Kuldzha et in antemontanis adjacentibus, ubi numerosae magni momenti endemicae species (ut ex. gr. *Aromia pruinosa* Rtt., *Lethrus tshitsherini* Sem., *L. kuldzhensis* Lebed., *L. petri* Sem. & Medv., *Carabus erichsoni* Fisch.-W., *Pterocomma iliensis* Sem., *Leptodes suworovi* Rtt., alii) vivunt.

Quae peculiaris species, D-r Breuning prorsus ignota, differt, a congeneribus proximis (nominatim a *C. panderi* Fisch.-W. et a *C. eleganti* Kirsch, ergo a *C. declivi* C. A. Dohrn quoque) numerosis non exigui momenti characteribus, in descriptione mea originali satis apte expositis et praeterea structurâ penis. Nunc jam quinque specimina *Calosomatis rostislavi*, inter se omnino consentanea, ante oculos habeo: quatuor in Museo Zoologico Acad. Scient. U.R.S.S. conservata (e collectionibus P. Semenov-Tian-Shanskii et G. Suvorovi), unum in coll. professoris D-ris V. Redikortzevi, nunc St. Breuningi; quorum quatuor proveniunt e districtu Dzarkent Heptapotamiae (Semiretshje), unum e districtu Kuldzha Chinae.

391. *Calosoma* (*Callisthenes*) *glazunovi* Sem. 1900 (Horae Soc. Ent. Ross., XXXIV, p. 303) est procul dubio species autonoma, non subspecies *Calosomatsis kushakevitshi* Ball., ut St. Breuning (l. c., p. 68) existimat, nam occupat aream geographicam etsi exiguam, tamen absolutam, in area *Calosomatis kushakevitshi* inclusam. Quod est signum biologicum potius speciei, quam subspeciei (cf. A. Semenov-Tian, Schaskij, Die taxonom. Grenzen der Art u. ihrer Unterabteil., Berlin 1910). Praeterea et summa insignium differentialium inter *C. glazunovi* et *C. kushakevitshi* ad illustrandam speciem nobis satis facit. Constat, multas subgeneris *Callisthenis* Fisch.-W. species, ut ex. gr. *Calosoma pseudocarabus* Sem. & Red., *C. marginatum* Gebl., *C. pantheri* Apf., *C. relictum* Apf., *C. fischeri* Fisch.-W., *C. anthrax* Sem., alia, areas geographicas occupare perexiguas.

Nulla *Calosomatis glazunovi* Sem. specimina, praeter tria originalia, e montibus Nura-tau (Nurata), non procul a Samarkand septentrionem versus sitis orta, adhuc vidi.

392. *Calosoma* (*Callisthenes*) *kushakevitshi* Ball. in Heptapotamia (Semiretshje), quantum nobis constat, omnino abest. Quae cum ita sint, non dubito, quin *C. (C.) kushakevitshi* Ball. „var.“ (= natio?) *plasoni* Born 1917 falsam ferat loci natalis indicationem. Hanc formam e parte septentrionali provinciae Syrdariensis provenire suspicor.

393. *Calosoma* (*Callisthenes*) *kushakevitshi* Ball. „var.“ *decolor* A. Mor. 1886 est natio, quae in districtu Tashkent formam genuinam (*C. kushakevitshi kushakevitshi* Ball.) omnino compensare videtur.

394. *Calosoma* (*Callisthenes*) *kushakevitshi batesoni* Sem. & Red. 1928 (Revue Russe d'Ent., XXII, p. 111) est sola, quantum constat, bona *Calosomatis kushakevitshi* Ball. subspecies (septentrionaliorientalis).

395. *Calosoma* (*Callisthenes*) *solskyi* Zaitz. 1918 (Bull. Mus. Cauc., XI, p. 8, nota 6) est nomen supervacaneum, nam sub nomine *Callisthenis reichei beatus* S. Solsky a. 1874 duas species distinctas commutavit: formam decorem (nigram) *Calosomatis (Callisthenis) elegantis declivis* C. A. Dohrn e ripis lacus Issyk-kul et formam nigram *C. (C.) kushakevitshi* Ball. (prov. Akmolensi?).

396. *Calosoma (Callisthenes) shelkovnikovi* Zaitz. 1918 (Bull. Mus. Cauc., XI, pp. 264, 269—270), a St. Breuning in Monographia generis *Calosoma* Web. praetermissum, eadem est species ac *Calosoma (Callisthenes) reichei* Guér., Breun.

Calosoma (Callisthenes) reichei zarudnianum Sem. et Red. 1928 (Revue Russe d'Ent., XXII, pp. 111—112) est ejus distinctissima subspecies, magis adeo ab eo quam *C. (C.) reichei substriatum* Motsch. divergens.

397. *Calosoma (Callisthenes) marginatum* Gebl. 1830 (in Ledebour's Reise, II, 3, pp. 57—58), ut e concisa ejus diagnosi satis patet, est sine ullo dubio species egregia, staturâ minusculâ, solum circum lacum Nor-Zaisan habitans. Quae species solummodo *C. (C.) pseudocarabo* Sem. & Red. 1928 (Revue Russe d'Ent., XXII, pp. 109—111), in montibus Saur, a lacu Nor-Zaisan meridiem versus sitis habitanti, affinis esse videtur. Cf. A. Semenov-Tian-Shanskij & V. Redikortzev: l. c., pp. 110—111. Ergo omnia, quae de *Calosoma marginato* Gebl. St. Breuning alique auctores scripserunt, sunt conjecturae nullius momenti.

Memorandum est circuitum lacus Nor-Zaisan cum montibus adjacentibus numerosas species endemicas alere, ut ex. gr. species generum: *Zaisania* Suv. (*Z. arachnoideum* Suv.), *Protenomus* Gebl. (*Pr. zaisanensem* Gebl.), *Carabus* *Cyclocarabum mnischei* Chaud.), *Ceratodirum gladiatoreum* Rtt., *Dorcadion (Compsodorcadion) jakovlevianum* Suv., *Neodorcadion brandti* Gebl., *Platyopem granulatum* Fisch.-W., *Taphoxenum (Pseudotaphoxenum) pigrum* Sem. in litt. *Crositum umbratum* Sem. in litt., *Chrysomelam sauricam* G. Jacobs., *Coelopterum desertorum* Dobzh., *Scymniscum zaisanensem* Dobzh., *Alexiolam kaldziricam* Suv., etc. inter Coleoptera, *Tmethem zacharjini* B.-Bienko, *Chorthippum uvarovi* B.-Bienko, *Sphingonotum halophilum* B.-Bienko, *Bryodema zaisanicum* B.-Bienko inter Orthoptera, *Ignabolivariam bilobatum* Chop. inter Blattodea.

398. Contra E. Csiki in Schenkling, Coleopteror. Catal., pars 91 (Carabidae: Carabinae, I), 1927, pp. 110, 167: iterum iterumque censeo, genera: *Cephalornis* Sem. 1889 (*Ornithocephalus* Sem. 1887) et *Eupachys* Chaud. 1857 omni jure restituenda esse. Cf. A. Semenov-Tian-Shanskij: Revue Russe d'Entom., XX, 1926, pp. 34, 35 (Anal. col., XIX, 251, 252).

399. Ob structuram peculiarem mandibularum, maxillarum, palporum, scutellae, menti, sicut ob specialem larvarum characterem genus *Leistus* Froelich (1799) e tribu *Nebriina* excludendum et in tribum propriam, *Leistini* nominandam, secernendum est.

400. *Blethisa eschscholtzi* Zubk. 1929, relictum faunae tertiae elementum in desertis Kirgizorum, non solum ad mare Caspium cis et trans Ural fluvium, sed etiam in subdesertis Heptapotamiae (Semi-retshj'e) apud Karatal ab Illi fluvio circiter 200 km orientem versus, a lacu Balchash meridiem versus habitat, in solo uvido paludum salsorum sat frequenter vere occurrens (J. Kirschenblatt 9. V. 1930: Karatal).

401. *Holosoma olgae* m. in litt. (1894) (= ? *Parahololius weigoldi* Heller 1925) differt a *Holosoma opaco* Sem. 1889 staturâ majore, colore superficiei violaceo s. cyaneo-violaceo, pronoto lateribus postice minus parallelis, vix subrotundatis; elytris carinulâ basali evidenter magis

sinuatâ, dorso antice magis planato, striis subtiliter perspicue punctulatis, lateribus inde a secundo quadrante retrorsum subangustatis; corpore subtus magis manifeste punctulato. Long. ♂ ♀ 17,5—20, lat. 6,8—7,3 mm. Hab. in Chinae provincia Setshuan: inter Sin-pu-guan et oppidum Min-dzhou (G. Potanin! 25—26/VIII 1893).—9 specimina (5♂, 4♀) in coll. P. Semenov-Tian-Shanskii, nunc in Museo Zool. Acad. Scient. U. R. S. S. Quae forma est probabiliter subspecies australis *Holosomatidis opaci* Sem., meridionalem partem provinciae Gan-su habitantis.

402. *Carabidarum Harpalinorum* subtribus illa, quam E. Csiki in Schenklingi Coleopterorum Catalogo (pars 104, 1929, p. 522) appellat „*Tichonii*“, nominanda est *Tichonini* Sem. 1904 (Revue Russe d'Entom., IV, p. 201; = Anal. col., 81).

403. Omissus est in A. Winkleri Catalogo Coleopterorum faunae palaearticae totum *Harpalinorum* genus *Amaroschesis* Tshitsch. 1897, continens duodecim descriptas species, quae omnes Chinam palaearticae habitant. Cf. T. Tshitscherin: Horae Soc. Ent. Ross. XXXVII, 1906, pp. 262—277 (revisio generis).

404. De *Orectochilo zeraushanico* Glaz. 1893 ut de specie propria in Travaux de la Stat. Biol. du Caucase du Nord, II, 2-3, 1928, pp. 46—47 locutus, prof. Ph. Zaitzev observationem nostram in Rev. Russe d'Ent., XX, 1926, p. 45 (Anal. Col., 316) praetermisit.

405. *Hydrophilus semenovi* Zaitz. 1908, habitat non solum in Tauriae littore meridionali, unde descriptus est, sed etiam in Transcaucasia occidentali ad littora Ponti: Pitzunda (C. Satunin! 14. IV. 1908: 8 specim.), riv. Detsbha prope Kabulety (idl 25. VII. 1909: 1 specim.). Quae cum ita sint, haec species in fauna paeninsulae Tauricae elementum anaticum judicari potest atque etiam in Asia Minore expectanda est.

406. Etiam si coloratio abdominis et evolutio et dispositio carinarum in elytris characteres in speciebus *Silphae obscurae* L. affinibus instabiles sunt, nihilo minus *Silpham validiorem* Sem. 1891 speciem esse autonomam unacum cl. G. Portevin judico, nam a *S. obscura* L. imprimis antennis articulo 1-o secundo duplo longiore, capite majore, pronoto margine antico calloso-elevato, elytrorum epipleuris nitidis, carinis dorsalibus saltem externis magis evolutis acutisque constanter discrepat. Quae species solum in montibus systematis Pamiro-Alaici atque Buchariae orientalis habitare videtur. Ergo omnia ad hanc speciem attinentia a V. Kizeritzkij (Kieseritzki) (in Abhandl. d. Pamir-Expedition 1928, Lief. II: Zoologie, Leningr., 1930, pp. 59—60) praeter ejus diagnosem perperam tractantur. Facile fieri potest, ut *S. chamaulti* Portev. 1926 sit mera *S. validioris* aberratio, nam fauna montium Alatau Talassicum dictorum multum habet commune cum montanis Pamiro-Alaics.

407. Ob structuram peculiarem partis apicalis elytrorum, ad instar caudae piscium formatorum atque singulatim spiniformiter productorum *Agrilus guerini* Lacord. 1835 subgenus proprium, *Uragrilus* nominandum, repraesentare nobis videtur. Quae rara, procul dubio relictâ in Europa species in Rossia meridionali rarissime occurrit: praeter pauca specimina ab A. Becker prope Sareptam olim lecta ante oculos habeo solum specimen a Th. Lukianovitsh in Nizhnie Mliny prope Pol-

tavam 8. VII. 1922 in *Artemisia procera* Willd. captum et Museo Zool. Acad. Scient. U. R. S. S. liberaliter donatum.

Ceterum censeo, genus ingens *Agrilus* Curt. in subgenera jam dudum dividendum esse.

408. In revisione specierum palaearcticarum generis *Coccinella* (L.) Dobzh. (Revue Russe d'Entom., XX, 1926, pp. 16—32) vir eruditissimus Theodosius Dobzhansky *Coccinellam semenovi* Weise (1889) sub nomine *Coccinellae magnopunctatae* Rybakov descripsit, sed perperam, nam G. Rybakov a. 1889 (in Horis Soc. Ent. Ross., XXIII, p. 289) *Coccinellam semenovi* Weise a *C. undecimpunctata* L. non distinxit et ejus aberrationem elytrorum maculis dilatatis paucis verbis, solam elytrorum colorationem indicantibus, ut „*Coccinella 11-punctata* L. var. *magnopunctata* m.“ designavit. Ergo haec species omni jure *Coccinella semenovi* Weise 1889 nominanda est, nam meritissimus J. Weise eam primus distinxit et characteribus specificis rite illustravit (cf. Horae Soc. Ent. Ross., XXIII, 1889, pp. 651—652). Nomine *magnopunctata* Rybak. designanda est aberratio *Coccinellae semenovi* Wse. maculis elytralibus maxime evolutis.

409. Duas generis *Aeolocaria* (Ithone Solsky) species [*Ae. mirabilem* (Motsch. 1860) sino-manzhuro-japonicam et *Ae. degeneratam* (Sem. 1889) himalayanam, quae probabiliter eadem est species atque *Coccinella hexaspilota* Hope 1831] primus distinxi et characteribus differentialibus illustravi. Cf. A. Semenov: Horae Soc. Ent. Ross., XXIV, 1889, p. 226 (*Ithone degenerata* Sem.); A. Semenov-Tian-Shaskij: Revue d'Entom., IX, 1910, p. 434 (*Ithone degenerata* Sem. = *Coccinella hexaspilota* Hope et *Ithone mirabilis* Motsch.). In conspectu specierum generis *Aeolocaria* Crotch, a V. Barovskij in Revue Russe d'Entom., XXII, 1928, pp. 233—234 pervulgato ultima nostra nota (1910) non citatur, differentia inter duas *Aeolocariae* species non satis apte et complete exponitur, distributio geographica varietatum eorumque frequentia non indicantur, geographicae specierum areae non satis exacte tractantur, nec materialia examinata nec eorum origo notantur.

Re vera *Ae. degenerata* Sem. (? = *hexaspilota* Hope) nunquam habet „elytrorum margines laterales discissos“, habitat autem inde a declivitate meridionali montium Karakorum (Baltit, 7.700 s. m., B. Gromb czewskii 13/IX 1888) per montes Himalyanos probabiliter usque ad Nepal (si modo *Coccinella hexaspilota* Hope eadem est species atque *Ithone degenerata* Sem., quod est secundum typica illius specimina comprobandum); *Ae. mirabilis* Motsch. praeter Chinam occidentalem, partim borealem, Coream, territoria Ussuriense et Amurense, etiam Mandzhuriam totam et meridionalem partem insulae Sachalin habitat.

410. Jam satis exquisite demonstravi, genus *Trichopleurias* J. Sahlb. 1902 = gen. *Egidyella* Rtt. 1899 (*Trichopleurias deserti* J. Sahlb. = *Egidyella prophetea* Rtt.) non esse *Coleoptera Heteromera*, verum etiam ad familiam *Dermestidarum* referendum, ubi subfamiliam peculiarem, *Egidyellinae* m. nominandam, repraesentat. Cf. A. Semenov: Rev. Russe d'Ent., XIV, 1914, pp. 15—16 (Anal. Col., XVIII, 223).

411. *Ctenopus testaceus* Sem. 1893, solummodo Turkestaniam chinensem habitans, omnino diversus est a *Ct. sogdiano* Sem. 1900 [= *Ct. testaceus* (non Sem.) Escher. 1897 (ex parte) = ? *Ct. sinuatipennis*

Fairm. 1892], qui Turkestaniam rossicam occidentalem habitat. Cf. A. Semenov: Horae Soc. Ent. Ross., XXXIV, 1900, pp. 486—487. Ergo synonymia harum *Ctenopi* specierum in A. Winkleri Catalogo Col. reg. palaearct. (1927) perperam tractatur.

412. Teste Eugenio Shestoporov aschabadensi Coleoptera quae sequuntur myrmecophila sunt atque prope opp. Aschabad in Turcomania apud insequentes formicarum formas vivere solent.

Oogaster lehmanni Mén.—ap. *Messorem barbarum meridionalem* Ern. André (observatio 10/IV 1929), ap. *Myrmecocystum altisquamem foreli* Ruzskij (obs. 12/III et 17/IV 1929), ap. *Myrmecocystum bicolorem setipedem turcomanicum* Em. (obs. 14/IV 1929), ap. *Camponotum maculatum thoracicum xerxem* For. (obs. 14/IV 1929).

Dichillus seminitidus Solsky—ap. *Myrmecocystum bicolorem setipedem turcomanicum* Em. (obs. 14/IV 1929).

Reitterella fusiformis Sem.—ap. *Myrmecocystum altisquamem foreli* Ruzskij (obs. 12/III et 17/IV 1929).

Platamodes dentipes Mén.—ap. *Messorem barbarum meridionalem* Ern. André (obs. 10/IV 1929).

Microblemma simplex Sem.—ap. *Myrmecocystum bicolorem setipedem turcomanicum* Em. (obs. 14/IV 1929).

Catopochrotus crematogastris Rtr.—ap. *Messorem barbarum meridionalem* Ern. André (obs. 10/IV 1929)¹⁾.

Thorictus ruzskii Sem.—ap. *Myrmecocystum altisquamem foreli* Ruzskij (obs. 12/III et 17/IV 1929), ap. *Myrmecocystum bicolorem setipedem turcomanicum* Em. (obs. 14/IV 1929), ap. *Camponotum maculatum thoracicum* Em. (obs. 14/IV 1929).

413. In A. Winkleri Catalogo Coleopt. faunae palaearcticae (fasc. 10, 1929) negligenter confusa sunt duo subgenera generis *Strangaliae* Serv.: *Parastrangalis* Ganglb. 1889 et *Ischnostrangalis* Ganglb. 1889. Typus subgeneris *Parastrangalis* Ganglb. est *Leptura potanini* Ganglb. 1889 (Horae Soc. Ent. Ross. XXIV, p. 57) e Chinae prov. Gan-su; typus subgeneris *Ischnostrangalis* Ganglb. 1889—*Leptura semenovi* Ganglb. 1889 (l. c., p. 53) e prov. Setshuan, quae species in Catalogo Winkleriano deest.

414. *Purpuricenus talyshensis* ut species autonoma non a Reitter, sed a me a. 1914 (Revue Russe d'Entom., XIV, 1914, pp. 17—18), descriptus est. Quam ob rem post nomen hujus speciei citandi sunt ambo auctores: (Rtr.) Sem. 1914.

415. *Purpuricenus grallator* Baeckm. 1924 referendus est in genus *Asiates* Sem., non in genus *Asias* Sem., ut in A. Winkleri Catalogo Coleopt. reg. palaearct. (fasc. 10, 1929) perperam citatur.

416. *Apalimnam* (rectius *Palimnam*) *continentalem*, ut subspecies *A. lituratae* H. W. Bates japonicae a me descriptam (Revue Russe d'Entom., XIV, 1914, p. 20), A. Winkler in Catalogo Col. reg. palaearct. (fasc. 10, 1929) ut *Apalimnae lituratae* varietatem tractavit.

¹⁾ Anno jam 1905 (in Revue Russe d'Entom., V, p. 140) indicavi, hanc speciem non solum in Transcaucasia, sed etiam in Turcomania vivere, quod a catalogorum novorum scriptoribus (ut A. Hetschko, A. Winkler) neglectum est.

Re vera *Palimna continentalis* Sem. (1914) est species autonoma, *P. lituratae* H. W. Bates vicaria.

417. In revisione subgeneris *Obereina* Ganglb. generis *Phytoecia* Muls. a. 1926 a N. Plavilstshikov conscripta (Ann. a. Mag. Nat. Hist., ser. 9, vol. XVIII, pp. 331—341) enumerantur 7 hujus subgeneris species, quarum sola species, *Phytoecia (Obereina) tekensis* Sem., in finibus Turcomaniae habitat. Re vera praeter hanc speciem, quae hucusque solum e media Turcomaniae parte [Achal-teke (Annau non procul ab Aschabad, P. Varentzovi 25/V—6/VI 1896), Aschabad (coll. anonym. N. Plavilstshikovi 28/V 1916), Kushka (C. Aris! 1/VI 1903)], ubi in *Artemisia* sp., vivit, in finibus Turcomaniae occurrit etiam altera *Obereinae* species, quae sequitur.

Phytoecia (Obereina) repetekensis, sp. n.: *Ph. (O.) niveae* Krtz. similis et proxime affinis, sed antennis multo (fere duplo) tenuioribus et multo brevioribus, in ♂ elytrorum apicem longe non attingentibus, pilis accumbentibus incanis confertim indutis, scapo praeterea pilis longis erectis, sat abunde obsito, articulis inde a 6-o longitudine magis decrescentibus, articulo ultimo apice minus obtuso; capite et prothorace pilis accumbentibus grisescenti-canis confertim omnino obtectis; pronoto basi magis argute reflexo-marginatâ; elytris dorso secundum suturam longitudinaliter non impressis, aequabilibus pilis accumbentibus canis indutis; tarsis posterioribus quam tibiae nonnihil brevioribus; elytrorum partibus testaceis pallidioribus, magis flavidis, segmento abdominali ultimo toto testaceo, pedibus totis flavo-testaceis; ceterum cum *Ph. nivea* congruens. — ♀ nondum nota.

Long. ♂ 9,3, lat. in humeris 2,3 mm.

Turcomania or.: Repetek in parte orientali desertorum Karakum dictorum (A. Hohlbeck! 10—15/V 1913). Solum specimen (1 ♂) in Museo Zool. Acad. Sc. U.R.S.S.

A *Ph. (O.) tekensi* Sem. magis adeo discrepat capite inter antennis breviores et tenuiores transversim non impresso nec plicato, capite et prothorace multo densius pilis accumbentibus incanis vestitis, elytris quoque magis abunde pilosis, ultimo segmento abdominali pedibusque totis testaceis. A ceteris ejusdem subgeneris speciebus jam longius distat.

Praeter septem *Obereinae* species ab N. Plavilstshikov l. c. recensitas et *O. repetekensem* Sem. in subgenus *Obereina* Ganglb. referenda est quidem *Phytoecia sikkimensis* Pic 1907 (Echange, XXIII, p. 152) non solum in Sikkim, sed etiam in Kashmir (Kulu, alt. 7000' s. m., C. Rostl) habitans. Quae species in A. Winkleri Catalogo Coleopt. reg. palaearcticae omissa est.

418. *Lethrus (Microlethrus) majusculus* Sem. 1899 est non subspecies *L. pygmaei* Ball., sed, ut demonstravit a. 1913 prof. A. Lebedev, species autonoma. Quae species a *L. pygmaeo* Ball. turkestanico differt praeter signa in descriptione nostra originali exposita praesertim structurâ apparatus copulatorii maris. Quod est in A. Winkleri Catalogo Coleopter. regionis palaearcticae inconsulte neglectum.

In systemate montium Turcomano-Chorassanicorum (Kopet-dagh) *Lethrus majusculus* Sem. eodem modo *L. pygmaeo* Ball. compensat, ut *Chilotomus chalybaeus* Fald.—*Chilotomum tshitsherini* Sem., *Aclypea transcaspica* Sem.—*A. turkestanica* Ball., *Conophyma uvarovi* Sem.

(Orthoptera Acridiidea)—*C. socolovi* Zub., *Carabus* (*Cyclocarabus*) *kuznetzovi* Sem.—species turkestanicas subgeneris *Cyclocarabi* Rtt., etc.

419. *Lethrus* (*Autolethrus*) *dinothierium* litvinovi Sem. 1900 est, sicut eum descripsi, saltem subspecies, non aberratio *L. dinothierii* Wilkins, ut A. Winkler perperam in Catalogo suo indicat.

420. *Lethrus* (*Autolethrus*) *obliteratus* Sem. 1894 est species autonoma, non ut eum descripsi, varietas *L. sulcipennis* Krtz., nec, ut eum perperam existimat A. Winkler, aberratio tantum speciei Kraatzianae.

421. *Holochelus subseriatus* Rtt. 1889 est species endemica in paeninsula Taurica, ubi solum primo vere (mensibus Martio et Aprili) apparet, plerumque copiose interdum volat et brevi temporis spatio evanescit. Cf. A. Semenov: *Revue Russe d'Entom.*, V, 1905, pp. 137—138, 140—141. E parte continentali Rossiae australis nulla hujus speciei specimina nobis innotuere. Ergo indicationem Reitteri „Charkov“ apud hanc speciem falsam esse judicamus et in catalogis indicationem „Rossia meridionalis“ emendandam esse censemus.

422. Area geographica *Melolonthinorum* apterorum, qui genus *Trematodes* Fald. formant, extenditur inde a Transbaicalia australi per Mongoliam orientalem secundum jugum Chingan Majus ad Chinae provinciam Shan-si et Mongoliam meridionalem (Ordos) usque. Cf. A. Semenov: *Revue Russe d'Entom.*, II, 1902, pp. 344—346. Quae cum ita sint, *Trematodes tenebrioides* (Pall.) praeter Transbaicaliam et Mongoliam orientalem etiam in Japonia habitare, in catalogis (Dalla Torrei 1912, Winkleri 1929) perperam indicatur.

423. *Lasiopsis caninus caucasicus* Sem. 1899, ut subspecies a nobis descriptus, in A. Winkleri Catalogo Col. reg. palaearcticae, pars 9 1929, 1079, ut aberratio, cujus auctor sit Reitter, perperam tractatur.

424. Genus *Chioneosoma* Krtz. 1891, Rtt. 1902, quod hucusque pro subgenere generis *Rhizotrogus* Berth. habebam, dividendum est in septem subgenera, quae cum septem sectionibus subgeneris *Chionosoma* (Krtz.) sensu meo a me a. 1902 (in *Revue Russe d'Entom.*, II, pp. 200—217) propositis quadrant. Quae generis *Chioneosoma* Krtz. subgenera nominibus sequentibus designare propono:

Subgen. I: *Leucolasium*, nov. = *Chionosoma* sectio I Sem. 1902 [Typus et species unica: 1. *Ch. gorilla* (Brenske 1886) cum ejus subspecie *transoxiano* (Sem. 1899)].

Subgen. II: *Chionotrogus* Rtt. 1902 sensu Sem. 1935 = *Chionosoma* sectio II Sem. 1902. [Typus: 1. *Ch. pulvereum* (Knoch 1801); ceterae species: 2. *Ch. senex* (Sem. 1902, VII) (= *Ch. kizilkumense* Rtt. 1902, XI); 3. *Ch. kazakorum* (Sem. 1902); 4. *Ch. kokuevi* (Sem. 1895); 5. *Ch. kizilkumense* Sem. 1895; 6. *Ch. astrachanicum* (Sem. 1902); 7. *Ch. glazunovi* (Sem. 1895); 8. *Ch. candidum* (Sem. 1902, VIII) (= *Rhizotrogus kraatzi* Brenske 1886 ex parte = *Ch. sequensi* Rtt. 1902, XI)].

Subgen. III: *Leucoschema*, nov. = *Chionosoma* sectio III Sem. 1902. [Typus: 1. *Ch. rostoutzovi* (Sem. 1899); ceterae species: 2. *Ch. badeni* (Brenske 1886); 3. *Ch. tshitsherini* (Sem. 1895)].

Subgen. IV: *Leucoschesis*, nov. = *Chionosoma* sectio IV Sem. 1902. [Typus: 1. *Ch. jakovlevi* (Sem. 1895); ceterae species: 2. *Ch. turcomanum* (Brenske 1888) (= *Ch. molare* Rtt. 1902); 3. *Ch. peetzi* (Sem. 1899)].

Subgen. V: *Chioneosoma* Krtz. 1891 s. str. = *Chionosoma* sectio V Sem. 1902. [Typus et species unica: 1. *Ch. komarovi* (Brenske 1886)].

Subgen. VI: *Aleucolomus* Rtt. 1902 = *Chionosoma* sectio VI Sem. 1902. [Typus: 1. *Ch. porosum* (Fisch.-W. 1824); ceterae species: 2. *Ch. demetrii* (Sem. 1902); 3. *Ch. tedzhenense* (Sem. 1895); 4. *Ch. ferganense* (Sem. 1902, VIII) (= *Ch. subporosum* Rtt. 1902, XI); 5. *Ch. reitteri* (Brenske 1887) (= *Ch. bilobus* Sharp 1890) unacum subspecie *eo* Sem. 1902].

Subgen. VII: *Aleucoschema*, nov. = *Chionosoma* sectio VII Sem. 1902. [Typus et species unica: 1 *Ch. vulpinum* (Gyllenh. 1817)].

Species generis *Chioneosoma* Krtz. in Catalogis (Dalla Torre 1912, Winkleri 1929) perperam tractantur. Cf. A. Semenov-Tian-Shanskij: Revue Russe d'Entom., II, 1902, pp. 197—217; III, 1903, pp. 99; IX, 1909, pp. 32—33; XXI, 1927, pp. 238—239.

425. *Centrasiobia* Sem. 1902 non est subgenus generis *Phalangonyx* Rtt. 1889, ut in catalogis perperam citatur, sed merum genus, inter genera: *Polyphyllum* Harr. et *Sphodroxiam* Krtz. quasi intermedium.

426. *Melolontha insignis* Sem. 1889 in catalogis omnino delenda est, nam eadem est species atque *Hoplosternus insignis* (Sem.), inde a Kashmir usque ad Kandzhut (Karakorum meridionale) propagatus.

427. *Ochranoxia expallida*, sp. n.: ♂. *O. semiflavae* Krtz. (1883) (e Turcomania) simillima, sed tota pallidior, perpallide testacea, quoad colorem cum speciebus generis *Achranoxia* Krtz. consentanea, antennis longioribus, scapo validiore, ad apicem magis adeo trianguliformiter dilatato, fasciculo paulo latiore e pilis rigidis albis instructo, clavâ manifeste longiore, scapo et stipite unitis haud brevior; palpis maxillaribus articulo ultimo semiovali apice multo obtusior; clypeo paulo latiore; tibiis anticis angustioribus et longioribus, apicem versus magis attenuatis, brevius dentatis, dente superiore plerumque minus evoluto; tarsorum unguiculis dente antebasali semper minore, subtili, in tarsis posticis nonnunquam vix ullo. Species quoad omnia fere insignia nonnihil variabilis. — ♀ nondum nota.

Long. ♂ 22, lat. 9,5 mm.

Turkestan occid.: deserta Kizil-kum prope Karaj-kuduk (N. Zarudnyj 7/VIII 1907); *ora australis desertorum Kirgizicorum*: prov. Turgaica: deserta Bolshie Barsuki prope Tshelkar (N. Androsovi 15/VII 1907); deserta Malye Barsuki prope Kara-tshokata (id. 1/VIII 1907; 31/VII 1908). — 4 specimina (4 ♂), quorum tria benevolentiae beati D. Glazunovi debet auctor (coll. P. Semenev-Tian-Shanskii, nunc in Museo Zool. Acad. Scient. U.R.S.S.).